

civitatis longe principem, quum incurabili morbo diu laboras-
set, per quietem cœlesti voce monitum, fore, ut si locum
qui circa Brundulum facer esset, inviseret, continuo omni
languore sanaretur: ac quia oraculo eventus responderat, fa-
num largo sumptu instauratum amplis muneribus ditasse.

Nunc ad **Obelerium** redeo, qui Dux, ut diximus, absens
declaratus, ubi Medoacum venit, quum ingenti populi fa-
vore aliquandiu Reipublicæ præfuisset, Beatum fratrem sibi
collegam ascivit. Is Constantinopolim ad Nicephorum na-
vigavit, a quo amplissimis honoribus est acceptus, ac insi-
gnibus quibusdam imperii ornatus. **Valentinus** interim fra-
ter natu minimus, jussu populi **Obelerio** collega datur. In
his quæ horum temporibus secuta sunt, ita video scriptores
variare, ut quid potissimum sequamur, difficile sit judicare.
Tradunt quidam, **Obelerium** Principatu a Beato fratre de-
jectum, ad Caroli opes confugisse, ejusque filiæ nuptias im-
petrasse, quia patriæ proditionem Regi esset pollicitus: at-
que in hanc spem Gallum erectum continuo in Venetos mo-
visse, omnique ora littorali momento temporis oppressa,
Medoacum usque pervenisse: quem locum quum incolis de-
stitutum cognovisset, ratibus tentasse in Rivumaltum trai-
cere, quo a Principe & omni multitudine concessum acce-
perat: tum ibi fœda tempestate jactatum, maxima exercitus
parte amissa, infecta re abducere coactum. Verum præter
cætera, quæ facile refelii possunt, omnium ferme scripta
eam expeditionem non Caroli, sed Pipini filii fuisse conser-
tiunt. Verior itaque fama ac celebrior hæc est, quam ideo
libentius sequor, quia diligentioribus id fere quod dicam,
placere video. Sed res aliquanto altius est repetenda, ut ma-
gis sit perspicua legentibus: & ne a rebus Venetis longius re-
cedamus, omissis quæ alij magis longo quam necessario ser-
mone de ea re scripsierunt, unde necesse est, historia repe-
tetur. Everso Longobardicæ gentis, ut nuper diximus, regno,
atque Italiae rebus a Carolo constitutis (quibus Pipinus filius
postea regis nomine præfuit) essentque interim Veneti ex fœ-
dere inter Carolum & Nicephorum iusto liberi juris, orta ob
Dalmatiam inter utrumque imperium discordia. Ferunt in eo

804

*D. Michaelis templum
ad Brundu-
lum.*

*Obelerius:
Beatum
fratrem col-
legam asciv-
it.*

809

*Valentinus
Obelerio
fratri col-
lega datur.*